

sentaneam perpetuæ doctrinæ & sententiæ Pauli, publice coram Ecclesia Presbyterum illum convicit, quod falsum & supposititium librum sub nomine & titulo Pauli sparsisset, & Presbyter ille publice confessus fuit, se hoc Pauli amore fecisse, quem Johannes propterea ministerio removit.

*Exempla
hereticæ
detractio-
nis.*

6. Posterioris sacrilegii, mutilationis scilicet, exempla itidem complura adduci possunt. De Marcione scribit Iren. lib. 3. adv. hæres. cap. 11. pag. 187. *Marcion totum rejiciens Evangelium imo seipsum abscindens ab Evangelio pariter gloriatur se habere Evangelium.* (al. partem gloriatur se habere Evangelii) ac de eodem Tertullianus multis in locis testatur, quod plurima deleverit in sacris literis, quibus hæresin suam fortissime refelli sentiebat, libr. de carne Christi c. 2. p. 298. *His opinor consiliis tot originalia instrumenta Christi dele- re Marcion ausus est, ne caro ejus probaretur.* cap. 4. pag. 300. *Circumspice Marcion, si tamen non delesti, stulta mundi elegit Deus* cap. 7. p. 302. *Hæreses (Marcionis & Apellis) ista de Evangelio abstulerunt. Quæ mihi mater & qui fratres?* inde libr. 1. ad- vers. Marc. cap. 1. p. 350. Marcionem vocat *murem Ponticum, qui Evangelia corroserit.* Et in lib. de præscript. adv. hæres. c. 17. p. 205, in genere dicit. *Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas, & si quas recipit adjunctionibus & detractio- nibus ad dispositionem instituti sui intervertit, & si recipit, non recipit integras & aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones mentata convertit. Tantum veritati ostrepit adulter sensus, quan- tum & corruptior stylus.* Epiphani. lib. 1. tom. 3. hæres. 42. col. 261. & seqq. late & in specie exponit, quænam Evangelis- tarum libris & Apostolorum Epistolis Marcion detraxerit. Manichæi libros Evangelistarum in universum repudia- bant, teste Augustino libr. 32. contra Faustum cap. 2. & libr. 33. cap. 3. De iisdem Manichæis scribit Leo serm. 4. de Epiphani. quod *Apostolicas paginas quedam auferendo, quedam inferendo violaverint.* Cerinthi & Ebionis sectatores solo E- vangelio *Matthæi* utebantur, quod vocabant *Evangelium secundum.*